



## **Index Librorvm Prohibitorvm Alexandri VII**

**Alexander**

**Romae, 1667**

LIV. Sanctæ Inqvisitionis. Feria V, die 11. Maij 1651.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-81440](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-81440)

## SANCTÆ INQUISITIONIS.

Feria V, die 11. Maij 1651.

In Generali Congregatione S. R. & Vniuersalis Inquisitionis habita in Palatio Apostolico Montis Quirinalis, coram Sanctiss. D. N. D. INNOCENTIO Diuina Providentia Papa X. ac Eminentiss. & Reverendiss. DD. S. R. E. Cardinalibus, in vniuersa Republica Christiana aduersus hereticam prauitatem generalibus Inquisitoribus, à sancta Sede Apostolica specialiter deputatis.

**C**Vm ad aures Sanctissimi D. N. Innocentij Papæ X. peruenisset in lucem prodisse libellum, cui titulus: Rationes ob quas Illustrissimus, ac Reuerendissimus D. Archiepiscopus Mechliniensis Belgij Primas, Regiæ Catholicæ Maiestatis Consilio Status, &c. à promulgatione Bullæ, qua proscribitur Liber, cui titulus: Concilij Iansenij Episcopi Iprensis, Augustinus, abstiniuit, ex mandato Regio Suae Maiestatis exhibitæ à Gallico in Latinum translata 1649. Incipiens *Iussus dicere*, & finiens, *Et ita Ecclesia probatam, & receptam.*

Nec non alium Libellum inscriptum; *Raisons pour lesquelles on n'a trouuë conuenir de publier au Diocèse de Gand avec les solennitez acoustumées certaine Bulle contre le Livre du defunct Euesque d'Ipre, Iansenius; Representées par Monseigneur le Reuerendissime Euesque de Gand au Conseil Priné de Sa Majesté Catolique à Brusselles le 20. de Mars 1647. 1649. Incipiens; Les raisons, & finiens Iusques à ce que Sa Sainteté sera deuëment informée.*

Item tria Edicta, Primum cui titulus, *Iacobus Dei, & Apostolica Sedis gratia Archiepiscopus Mechliniensis, omnibus has visuris salutem; Incipiens, Notum facimus quod cum circa publicationem Bullæ Urbani VIII. fel. record. & finiens. Datum Bruxelle die 29. Martij 1651. Id. M. P.*

Secundum, cui titulus: *Antonius Triesl, Dei, & Apostolica Sedis gratia Episcopus Gandauensis, &c. Omnibus Christi nostræ Diocesis fidelibus salutem in Domino, &c. Incipiens; Noveritis quod Clementissimus Noster Rex, &c. finiens, Curauimus prædictam Bullam de verbo ad verbum, ut supra diximus de nouo imprimi, & huic nostræ ordinationi inseri 26. Martij 1651. Et inferius, De mandato Illustrissimi, & Reuerendissimi D. Episcopi prædicti subsignat. P. Simon Secret.*

Tertium cui titulus; *Vicarij Generales Sedis Episcopalis Iprensis modo vacantis, Vniuerso Clero, & Populo huius Diocesis salutem. Incipiens Sanctissimus D. N. Urbanus beate memorie Papa VIII. iam dudum, &c. & finiens; sicut antiquitus in usu fuerunt intacta, reliquere, & illa conservare. Actum 27. Martij 1651. Et inferius, de mandato Adm. RR. DD. Vniuersorum subsignat. M. de Cers Secret.*

In quibus Libellis, & Edictis multa contineri Authoritati Sanctæ Sedis Apostolicæ præiudicialia, Sanctitas Sua prædictos Libellos, & Edicta in præfata Sacra Congregatione examinari mandauit. In qua maturè, ac diligenter in eis contentis consideratione, & perpensis, auditisque super præmissis Votis eorundem DD. Cardinalium, Sanctitas Sua tam Libellos, quàm Edicta prædicta prohibenda censuit; prout præfati Decreto damnat, & prohibet, & pro damnatis, ac prohibitis haberi vult, & mandat. Ac nisi eorum Authores, quamprimum se se expurgauerint, censuris, ac pœnis Ecclesiasticis intelligant se omnino coercendos. Iubet autem quod Nullus deinceps, cuiuscunque gradus, & conditionis existat sub pœnis in Sacro Concilio Tridentino, & in Indice Librorum Prohibitorum contentis, aliisque arbitrio Sanctitatis Suae infligendis, supradictos Libellos, & Edicta audeat quocumque Idiome imprimere, vel imprimi curare, legere, vel apud se retinere, &c. Non obstantibus quibuscumque contrarijs.

10. Antonius Thomasius S. Rom. & Vniuersalis Inquisitionis Not. SACRÆ

INDICES  
Librorum  
PROHIBITORUM  
E. V.  
= 4.